IN SOLEMNI CELEBRATIONE
Feliciſſimi Tranſitus

LEOPOLDI I.

ROMANORUM IMPERATORIS

Ad Immortalitatis Templum

EXPOSITUM

In Imperiali ECCLESIA Sanctæ MARIÆ de ANIMA in Urbe.

ORATIO

Aſſiſtente Sacro Eminentiſs., & Reverendiſs. DD.Cardinalium Collegio

HABITA

ET

JOSEPHO I.

AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI REGNANTI

DICATA

A LAURENTIO VIGILIO DE NICOLLIS SACERDOTE

Nobili Tridentino Sac. Theol. & I.V.D.



ROMÆ, M.DCCVI.

Ex Typographia Georgii Plachi, Cælaturam Profitentis, & Fuſoriam Characterum Latinorum, & Peregrinorum in Platea Eccleſiæ Sancti MARCI.

SUPERIORUM PERMISSU.

SACRA CÆSAREA MAJESTAS.




MICANS *inter* CAESARES *tanquàm Planetarum Princeps* LEOPOLDI *Virtus palàm testatur, illos potiùs per hujus reflexi luminis participationem, quàm hunc propter illorum imitationem fulgere. Immediatus attamen* LEOPOLDI *Sanguis, atque viva institutio, specialia Dona* AUGU-

STISSIMAE MAIESTATI TUAE *concesserunt Virtutibus, quia à Paterno Fonte manantibus, non illum circa, sed unà simùl cum illo enitendi, ne terminum adeptæ consistant, in* FILIO *verò uberrima irradiatione explicentur, quod temporis circumscriptio, aut sæculi vicissitudines Genitori interdixere. Tanta, sublimisquè Lux, in nebulam, meam nempè Orationem, nescio quo incidit fato; ad refractum forsan jubar commodiùs intuendum. Hanc obsequii consilio ductam, non temeritatis impetu ellatam Imperiali Throno subjicio, spe fretus* AUSTRIACAM CLEMENTIAM *experturam, Sol enim cum repercusso in nubibus radio, Iridem effingit. Si benefico signo Splendor* TUAE MAIESTATIS *illam decoraverit, erit objectum meæ Venerationis.*

Humill. Obsequentis. Addictis. Servus ac subditus Fidelissimus.

Laurentius Vigilius de Nicollis.

ORA.



ORATIO.



HIC, Eminentissimi Principes, hìc tristis spatiatur luctus, hìc caliginosæ noctis Provincia extenditur, hìc laureati Feretri grandescit ædificium? quo Jure? Si vulgati consuetudine admissa, undè consilium? Si pietatis Studio excitata, undè officiorum disparitas? Si mortis licentiâ intrusa, undè permissio? Millena hujusmodi Sepulcralis imago cujusnam Symbolum? Jacentis cadaveris deordinata fragmenta, cujus figura? in Pace compositi Cineres, cujus mysterium? Miror, equidem, miror, attamen non patiar talia hìc feriari. Mundum hunc lugubrem dissolvite, cemeria ornamenta abigite, infausti luminis faces, quæ læthali corruscatione splendescunt, extinguite. Consultiùs, hìc erat victrices palmas non solùm dietim expandere, immortali lauro arte contextas, sed exacta radice, naturâ perpetuò tenere: gloriosi nominis signo defecatum aurum, & quidquid nobilioris formæ Terra molitur, studiosè condecorare. Video profectò furentem Tracem, qui Christiano Orbi servitutem paraverat, sæpiùs concussum: Video Civitates, Provincias, & Regna, Romano Imperio, tùm ardua manutentione servata, tùm post varios casus, Postliminii Jure reversa: Video Ecclesiæ exaltationem, promerentibus armis, & quod mirabiliùs heroicis promotam Virtutibus: Video hæc omnia; sed quia Monumentis facillimæ dissolutionis concredita, ægrè utiquè feram. Si temporum infelix conditio, excelsi fastigii novas deornare pyramides non concedit, Imperiali Majestati olim dicata Saxa reviviscant, quæ

libenter Terra de ſinu emittet, & Sol iterùm lætabitur contemplari. Si ſpes, licèt dilata, ut par eſt, non auſertur, ſaltem hujuſmodi ſpectris, larviſque erat valedicendum, ne glorioſa Emblemata obnubilata perhorreſcant. Si dicitis, ut ſigna depoſitæ corruptibilitatis tantùm admiſſa, ubi Imagines indutæ Immortalitatis irradiant, ubi ſolemnia peragit Elyſiorum apparatus? Scandendum erat Cœlum, à quo nobiliora mutuanda. En vix tantùm vocatum, promptuarium pandit, ſupellectilia transmittit. Faceſſant ergò mutabilia hæc, accedant quæ labefactari non patiuntur. Accipite primæ magnitudinis Aſtra, Taumantiam Irim, lacteamque Galexiam: Planetæ omnes, Luminaria ipſa libentiùs accurrunt: Diſponite ad Campitolii formam, ad Amphiteatri ſtructuram, in triumphalis curri faſtigium: in hiſce coordinandis Architectura Superbiet, in hac Symetrica proportione, coaptandis Virtutibus Statuaria venuſtè laboret, & ſi Pictura adumbrationes peroptat, exantlatis ærumnis, vitiiſquè quaſſatis, utatur. Reſonet undiquè tonitruorum feſtiva exploſio. Cœlorum concentus, Intelligentiarum Chitaris armonia regatur. Tantæ utiquè, tantæ molis eſt LEOPOLDI memoriam celebrare. Forſan non creditis? aſpicite, Templum Immortalitatis LEOPOLDUM vocavit, excepit, amplectitur non humana ſors ad Tumulum deduxit: Gloria, ut Numinum Votis indulgeret, illùc LEOPOLDUM evexit, & forſan nobis immaturè abripuit: hoc tamen, plenis ſuffragiis, poſito decreto, quod apud homines, vivat LOPOLDUS uti CEASARUM CEASAR, apud Numina irradiet tanquàm HEROS HEROUM. Auditores, potiùs date plauſus, quàm argumenta exigatis.

Cuſtodiebant LEOPOLDUM Numina, tùm quia Auſtriaco traductum Sanguine, tùm conſcii, quia ad ſublimiora vocatum. LEOPOLDUM erudiebat Rodulphus Auſtriacorum CEASARUM turba conſeptus, ut omnium imitator, Uirtutes de eorum fontibus hauriret non ſolùm, ſed ſimùl annexas coronaret. Heroes illi, continuata ſucceſſione, infauſtam olim viciſſitudinem, quâ Imperialis Majeſtas cogebatur hinc inde de bonis ad malos divertere, ac difficiliùs ab his ad primos recurrere, funditùs extirparunt. Eorum quilibet, (licèt aliis non deſpectis) ſpecialem Virtutem juxta temporum, morùmque exigentiam viriliter promovit, itaut ſignanter ab illa coronatus refulſit. Rodulphus Imperium quinque fermè luſtris jacens, CEASAREAM

MAJE-

MAJESTATEM à Regibus irrisione manumissam, dexterâ non ferro, sed Cruce armatus, antiquæ Venerationi restituit. Albertus dissectas usurpatione Provincias triumphali semper expeditione ad primæva Jura revocavit. Fridericus, quæ adversa fortuna pluribus hastis innixa minabatur excidia, Pacis artibus amovit. Maximilianus omnibus (quantò magis egenis) indistinctè beneficus, Divinæ Providentiæ acclamationes in populis excitavit. Aspicite, quæso adstant omnes: hìc CAROLUS utriusquè Emisphærii Diademata feliciter tenens, & gloriosius dimittens. Illic Ferdinandi plures, quorum primus Hæreticorum propugnator, alter Christianæ fortitudinis simulacrum, alter perduelium Vindex: Omnes hi, cæterique pii, omnes Apostolicæ Sedi obsequentes; aspicite omnes distinctim priùs, postmodùm verò omnes In LEOPOLDO collectos: conferte cum illis LEOPOLDI Virtutes, quas aliis Pictura ostendit, vos tamen animo custoditis, & concludite, quot Heroes tulerunt sæcula, tot expressit eorum adaucta Virtus in LEOPOLDO, in quem unum aggregavit universa, quæ per alios non illiberalis dispersit. Dicite in uno LEOPOLDO Avorum Concilium contineri, in solo LEOPOLDO amplissimum Cæsarum Senatum coadunari; in uno enim LEOPOLDO tota sese virtus compendio inclusit, latèque postmodum simul Imperatorum omnium glorias explicavit: dicite quidem, quia nullius assentationis suspicio.

Virtutibus hisce omnibus decoratus LEOPOLDUS, Firmamentum Astris undiquè refertum æmulabatur: attamen Sol nondùm illuxerat. Quomodò, Virtutes omnes in unum aggregatæ, & ad supremum usqué gradum evectæ, indigent adhùc uberiori lumine, cujus irradiatione corruscent? à quonam Horoscopo desideratus Phæbus expectandus?

Latebant in LEOPOLDO,aut non cognitæ,aut quantùm decebat,non inspectæ Virtutes,quas Altissimus sibi probatas decrevit universis patefacere gentibus; & ut actu conspicuæ in Scenam prorumperent, occasionem admovit, quâ cunctas in unum exercendo, potuisset de seipso Victoriam comparare. Hoc equidem Principibus arduum, profectò pœnes inaccessibile, quia Victoria de aliis in Principe est munus, de seipso proportionata Virtus.

Licentiam furenti Traci concessit, Pannoniam non solùm, Germaniamque armis petitam lacessendi, sed AUSTRIÆ, Imperiique Metropolim obsidione tentandam, licèt barbarum ad sui confusionem, nos verò ad correctionem limitata permissio

latue-

latuerit. Asia tota ferro onusta, & diro marte vexata, en Viennam salutat: inopinato hostis accessu contremiscunt Cives, Populus quasi horrore tabescit. Ceasar (lacrymabile visu) Patriam, Sedem, Avorum Cineres profugus relinquit; quibus copiis muniat arcem, quibus se in dubio itinere tuendum committat, planè destitutus. Dùm Linzium præruptè petit, ut se Passaviæ tradat custodiendum, primam à Viennæ discessu, in Campestri Tugurio pervigil transigit noctem, ubi nullum Triclinium, nullum cubile; stipulæ tantumodò ad reclinandum Regium Joseph Augustae Matri Stragmina ministrant. LEOPOLDUS Virtutis Majestate semper compositus astantibus inquit: *en quid sit Mundus* en quid sit Mundus? en, dicite Vos Auditores, quid sit LEOPOLDUS, in tanta exercitatione, quanta LEOPOLDI Virtus, exercitatio quippè Virum ostendit.

Funestas indè dirreptiones tristis undiquè fama denunciat; totus Christianus Orbis oculos in obsessam Viennam tenet defixos, quia in ea omnes Imperii Arces oppugnantur. Debilium sanguis tyranidi mactatur in victimam, Virorum fortium fidem servat incolumem: Vulgus declamat in Barbarorum sævitiem, nec desunt contumeliosi, qui tanquàm imeritum LEOPOLDUM insectantur.

Ad tantæ cladis subeundum pondus, quisnam satis? Universa Ecclesia, summo auspicante Pontificæ asperſa cinere, lacrymisquè solutà, preces pro LEOPOLDO effundit largiter, illi Omnipotentis manum adiutricem Sacrificiis invitat, illi exercituumque numen in Deum advocat protectorem. Tantis suffulta præsidiis LEOPOLDI Virtus, ad Aram procumbens, preces, quas olim ad Pestilentiam extinguendam, secutus David, effuderat, nunc suimet iterata immolatione revoluit: En, inquit, iuxta Crucem, LEOPOLDUM tua Dextera tactum, ò Mundi Redemptor: si in mei animadversionem furor tuus gladium distringit, in me solum spicula contorqueat, in me vulnera figat. Si uti Princeps, Populi in meis deliquerunt flagitiis, libenter Dominii mei Jura dissolvo, ne meum per eos diffusum crimen, in eorumdem punitione plectatur. Diademata, quibus olim, Spe melioris frugis, caput meum condecorasti, nunc submisse depono, ut ad digniorem translata, Imperium fulciatur relevatore. LEOPOLDUS verò non tantùm pro se, sed etiam pro Liberis à Regalibus abdicatus, fit expiationis hostia ad iram emulcendam.

Grande

Grande Sacrificium, ubi Diademata, & Sceptra mactantur in victimam. Respexit Deus ad LEOPOLDI munera, decrevitque perBarbaros in cæptum bellum, Victoriarum serie à LEOPOLDO protrahendum, usquequò Ottomanus extra Pannoniam circumscriptus, submisse postulata Pace, LEOPOLDUM dixerit supra se triumphatorem; deposita Regnorum Jura cum fænore rependit Deus, ad quæ Successorem Filium dessignavit. Hæc dona tamen, cælesti revelatione non fuerunt LEOPOLDO detecta, ne auferret occasionem merendi continuò per Fidem Speranti: alta hæc tamen Spes illi divino influxu confirmata habitu viguit, quæ pluribus actibus fuit tantùm concepta.

O magnæ Fiduciæ Vir LEOPOLDE, dic nunc quid optas? Si ut illum subjiceres Divinæ Voluntati Principem deposuisti, regnandi cupidine non infectum, quamvis justum potuisset Dominii amorem fovere, in Te exaltavit Omnipotens Principem, qui uti Caesar Caesarum, & tanquam Heros Heroum, sit miro modo triumphaturus. Exurge igitur, Passaviæ valedicito, Imperialem repete Sedem; Altissimus in Vandalorum, Germanumquè manibus tractavit arma, quibus excidia sua metuenti Viennæ succurrit non solùm, sed illicò mærore posito, in spem novam erigi visam, quod sibi tantus Vindex obtigerit, Te incolumem recipiat Victorem. Per invictissimum Regem, dupplici palma Strigonium expugnabit: per strenuos Principes trucem Budam horrore conspiciendam, quia illic semper fracta Austriaca potentia, e barbarorum unguibus erripiet, Tibique aliis denegatam, concedet: per admirandæ fortitudinis tùm milites tùm Duces, quasi fulmina hostium castra evertet, martemque ipsum in arenam eductum, strabit, multiplicis Victoriæ trophæum: plurium annorum bellis in audacia enutritus exercitus, & ad triumphales palmas asuetus, Pannoniam inferiorem ferro redemptam, superiorem, punita seditione refectam, bina Olympiade LEOPOLDO restituet, quæ AUSTRIACÆ Ditioni fuit per sæcula dolo subtracta. Ante oculos vigent adhuc præclara gesta, obstrepens fama mundum conticuit, clari dies, æterno sæculo adjuncti, rident adhùc. Vidimus & nos tandem patefactum Jani Templum fulmina in barbaros ejaculare, nobis verò exuberantis lætitiæ spectaculum perhibere.

Aspiciebat Heroum Senatus ex alto Immortalitatis vestibulo LEOPOLDI felicissima arma, undiquè evagare ad hostium

usque

usque depressionem: quilibet horum conferrebat illa suis rutilantibus gladiis, quos tamen inferiores fatebantur, quia omnes ipsorum conatus, non ultra defensionem valuerunt; ad limites verò ampliandos semper impares, quod, aut non tentatum, aut sine fructu semper irritum dimissum; ipsis rara Victoria crebris profligationibus labefactata, in cunabulis Statim exaruit: quando LEOPOLDO una Laurus viam sternebat ad alteram, prior palma Victoriosi exercitus animos sollicitabat ad sequentem: concludebant omnes LEOPOLDUM gloriosum super omnes Cæsares Prædecessores, si hujusmodi expeditionibus dedisset præsentiam, procinctus inflammasset exemplo, & Ducis officium in se assumpsisset.


Verùm cùm illos superna lux affulgens docuerit, quantùm LEOPOLDI præcibus ante Agnum stantibus, Divina Clementia indulserit, statim revelato mysterio introspexerunt, LEOPOLDUM in militum manibus Oratione certantem, in Principum animis acies Oratione dirrigentem, in omnium exercituum conatibus hostes Oratione profligantem: undique LEOPOLDI latè diffusa Oratio inauguravit Victorias, ubiquè presens, tùm militis, tùm Ducis munia adimplevit; ideòque mutato consilio, LEOPOLDUM super omnes Cæsares plausibus exceperunt ovantes, in Albo Immortalitatis LEOPOLDI nomen Sacrarunt, qui non militando, non sedendo, sed semper triumphavit orando. Cur mirum, si quælibet Victoria præsetulerit prodigium, si quælibet Palma ostentaverit portentum? non etenim sydera, non homines, non elementa sed, Manus Domini pro LEOPOLDO pugnavit, & vicit. Vicit Bello fortiter, Pace gloriosius triumphavit; Bello Provincias subegit, Pace ipsiusmet Sultani prostravit majestatem.. Arrogaverat sibi Barbarus jura tùm belli, tùm Pacis, & tanquam utriusquè Author, in uno potentiam Sanguine decorandam, in altero superbiam Hostiis placandam jactarat, ideoquè Jurejurando temerato, cunctis se dixerat Legibus solutum: nunc verò inferior factus cogitur distensa carbasa colligere, & LEOPOLDO, cui armis, potentia, cessit, dono acceptis induciis, gloriam renunciare; sic Bellum Sacrilegio indictum, inglorius clausit humiliatione.

Horum omnium perlucidam Ideam, Altissimus supra LEOPOLDI vultum explicavit, quando ablegatus quidam Ottomanus eundem adhùc Infantem salutavit: horrens tunc

Barba-

Barbarus protulit, LEOPOLDUM à Deo datum in Mussulmanorum perditionem, asserens hujusmodi vaticinium à physonomiæ arcanis deductum, nescius à cælesti mysterio sibi revelatum.

Utinam alterum hujusmodi simulacrum LEOPOLDI ingredientis Templum Immortalitatis hìc expansum, depositæ caducitatis gloriosa signa hæc illustraret! Utinam LEOPOLDI Virtutum omnium chorus, excelsæ tamen staturæ, in aperto prosiliret! harum tanquàm signifera Justitiæ consociata præcurreret Clementia; suprema omnium moderatrix Religio, & ad Apostolicam Sedem prostrata LEOPOLDI Humilitas, medium tenerent; indè reliquæ proportionato ordine distinctæ, ut Comilitones, & aulicæ consequerentur: in adversis scilicet Fortitudo, in prosperis Temperantia, erga subditos paterna Benevolentia, in agibilibus prudens Magnanimitas, pro indigentibus liberalis Providentia, in insidiis ad necem usquè conspirantibus, quasi coacta Tolerantia, Beneficiorum facillima largitas, injuriarum evangelica remissio; aspiceremus, quid? Ejà tu pande Cœlum, Virtutum LEOPOLDI sublime spectaculum! Jure non conceditur, quia LEOPOLDUS semetipsum nobis reliquit in Filio: hoc enim habent proprii AUSTRIACÆ Virtutes, ut Indole, & exemplo, à Majoribus fluant in Liberos, in quorum postmodum exaltata imitatione, Prædecessorum omnium Gloriæ continuò explicentur.




CLEMENTEM Sensere Iouem
J. Rauiuati.

